

...cenus

Confraternitatis. Literatorum: Plausus solennita[s]
memorabilis S. Joannis Nepomuceni.

PLAVSVS
Solennitatis Memorabilis
S. JOANNIS NEPOMUCENI,
Sacræ Theologiæ & Juris utriusq;
DOCTORIS,
Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis, Divi Viti
CANONICI,
Collegiatæ ad Omnes Sanctos Decani Martyris CHRISTI Gloriosissimi, Inclyti Regni Bohemiæ, Famaq; periclitantium Singularissimi
PATRONI,
Decretô & Vivæ vocis oraculô



A
SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
BENEDICTO XIII.
PONTIFICE MAXIMO.
19 Martij, Annô Domini 1729. in Festo Sancti IOSEPHI
CANONIZATI,
Circa Solennem Introductionem
à 17. 7bris per Octo dies perseverante devotione in Ecclesia S. ADALBERTI *Martyris*
Per
CONFRATERNITATEM LITERATORũ Sub Titulo Assumptionis B.V.M. & Ejusdem Sancti Patrocinio gaudentem
CELEBRATVS,
Synopsi breviq; compendiô posteritati
COMMUNICATUS.

CRACOVIÆ, Typis IACOBI MATYASZKIEWICZ, S. R. M. Typographi.



E optatissima S. IOANNIS NEPOMVCENI Canonizatione accepta prima ab Vrbe notitia protinus inclyta Literatorum Confraternitas, se ipsam præ gaudio vix capiens cum tota Regni Metropoli Cracovia, Præ-Nobili Magistratu cooperante, cœpit enixiores adhibere conatus, ut ad Majorem Dei Gloriam, in Sanctis suis augendam, cultũ & honorem NEPOMVCENI Solenni plausu in Ecclesia Sancti ADALBERTI Martyris celebraret. Pro Decreto Canonizationis 5ta. Martij præmissa festiva gratiarum actione; ipsa postquam felicissimè subsecuta Canonizatio, abinde matura perpendebatur deliberatione; quo tempore Processionis expedienda foret Solennitas Placuere alijs majales verniq; dies, alijs æstivi; omnes in unum convenerunt sensum, ut justo pro præparatoriis spatiô interposito, in Autumno hæc expediretur devotio. Destinata desideratissimo actui dies 17. 7bris, quæ erat dies Sabbathi ante Dominicam 4tam ejusdem Mensis. Itũ per unũ ex Confraternitate ad *Celsissimũ Illustrissimũ & Reverendissimũ D. CONSTANTINVM FELICIANVM* in Szaniawy *SZANIAWSKI, Episcopum Cracoviensem, Ducem Severiæ, Vniversitatis Cracoviensis Cancellarium*, Bodzantini tunc à Cracovia 18. milliaribus commorantem, qui ob imminentia ultimis Augusti generalia Regni Comitia Grodnæ peragenda, cùm Ipse adesse non potuerit, prædictam diem suo consensu & Auctoritate ordinaria approbavit. Processum ex Cancellaria sua cum ordinatione qua methodo expedienda Processio extradere, eundemq; ex Exedris Ecclesiarum populo ad Divina congregato aliaq; praxi solita, duabꝰ septimanis ante Solennitatem intimari mandavit. Eratq; ejusmodi Processus.

CON-

CONSTANTINVS FELICIANVS
In Szaniawy
SZANIAWSKI,
DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ, Episcopus Cracoviensis, Dux Severiæ.

JMmensa & incompræhensibilis Omnipotens DEI bonitas, adeo Sanctorum suorum pensat virtutes & merita, ut nè minimum quidem mercede sua carere permittat, & quem majoribûs abundare competit, eum amplioribus in gloria Cœlesti cumulat honoribûs. Pensavit inter alios Cœlites præclara Sancti IOANNIS NEPOMVCENI, Sacerdotis & Martyris merita; & dum Illum in triumphante sua Ecclesia gloria & honore æternæ Beatitudiuis coronasset, etiam in militante particulari voluit cultu decorare, per Vicariam in terris summi Pontificiis Potestatem Ipsum Sanctorum numero adscriptum, & à Fidelibus publica devotione venerandum; ejusdem Sanctæ Sedis Apostolicæ oraculô pronuntians. Cùm igitur prædictum Sanctum IOANNEM NEPOMVCENVM post subsecutam sui Canonizationem in aliis Orbis Christiani partibus, Fideles speciali prosequantur & celebrent cultu ac obsequiô, Vrbs quoq; Cracoviensis non dissimili pia contendit certare æmulatione. Hinc per certos istius Sancti Cultores, expositum est nobis, quòd ipsi Introductionem illius de Cathedrali nostra Ecclesia ad Ecclesiam Sancti ADALBERTI Archi-Episcopi & Martyris in ea Vrbe existente, in qua aliàs Ecclesia, devotio erga istum Sanctum per Confraternitatem Literatorum hactenus promovebatur, die 17. Mensis 7bris Annô currenti solenniter peragere in animo contulerint, supplicatum est nobis, quatenus authoritate ordinaria, licentiam de super concedere dignaremur. Nos verò cultum DEI qui gloriosus est in Sanctis suis, Ipsorumq; Sanctorum venerationem promovere, & Fidelium corda ad devotionem excitare summopere cupientes, licentiam, Introductionem hujusmodi, suprascripta vel alia intra Octavam die, ritu Solenni celebrandi libenter concendendam esse censuimus, & concedimus præsentibûs, idq; tali sub ordine. Quatenus videlicèt Processioni & Introductioni præmissæ, Vniversus Clerus Ecclesiarũ, Cathedralis nostræ, cum omnibus tam ordinatis quàm ordinandis alias sine exceptione Seminaristis utriusq; Seminarii, & omnium Collegiatarum, Parochialium, & Regularium Ecclesiarum, tam intra mæniâ Vrbis Cracoviensis, & Casimiriensis, quam extra mæniâ consistentium solito alias

Procesſionibus Solennibus obſervato more aſsiſtat. Statua ſeu Buſtum Sancti per Canonicos Eccleſiæ Collegiatæ Sanctorum Omnium, idq; ante Chorum ſeu Crucem Perilluſtrium Canonicorum & Prælatorum Cathedralis Eccleſiæ, Vexillũ verò cum Effigie Ejuſdem Sancti per Pœnitentiarios ejuſdem Cathedralis poſt Seminariſtas, ſeu immediatè ante Clerum Cathedralem deportetur. Præsbyteri, Sæculares ſuperpelliceati ſtolas pariter deportent. Tum quoq; omnium Eccleſiarum tam Sæcularium quam Regularium Confraternitates Procesſionem cum ſolitis Inſigniis comitentur. Et quoniam Conciones per totam Octavam prædicabuntur, ideò quicunq; Eccleſiarum Collegiatarum Prælati & Canonici concionabuntur, dalmutiis utantur. Super quo licentiam ſimiliter damus, adextremum quatenus in omnibus Eccleſiis Sæcularibus & Regularib9 intra & extra mænia Vrbis coſiſtentibus, ſub tempus Procesſionis campanæ pulſentur, inchoato in Cathedrali. Reqvirimus proinde omnes & ſingulos, Perilluſtres, Illuſtres, Admodum Reverendos, Religioſos, Præpoſitos, Parochos, Seu quoſcunq; Eccleſiarum ſæcularium Rectores, Regularium Superiores, & Confraternitatum omnium, Præfectos, Seniores, iiſdemq; mandamus, quatenus ordinationi noſtræ præſenti obtemperent, & Procesſioni ac Introductioni hujuſmodi ita ut præmiſſum eſt adſint & aſsiſtant. In quorum fidem Datum Bodzantini Die 15. Menſis Iulii, Anno Domini 1729.

CONSTANTINVS *Epiſcopus Cracovienſis*

(L.S.)

Casimirus Chocmanski Phil: Doctor, Decanus Kielcenſis, Præpoſitus Andrejovienſis. pro D. Actuario.

APproximante determinato tempore copioſior defluxit imber multos de imminenti Feſtivitate reddiderat conſternatos, qui tamen quaſi conſultò pluens viam lithoſtroteam lavit ac commodiorem paravit, ipſa vero dies citra ſpem & opinionem ſummè ſerena illucit. Proinde hora 2da poſt meridiem mota eſt Princeps Campana Sigiſmundi Regis, Fundatoris ſui nomen præferens deditq; pluſquam toto quadrante vocale ſignum ſolennis Procesſionis inſtituendæ, eoq; tempore Feſtivis aliquot in locis frequens muſicorũ & Tibicinum turba inſonuit lituis, præſertim in

tur-

turrib⁹ Prætoriana & Excubiarũ ad Ecclesiã Archi-Præsbyteralẽ, ad Portam triumphalem eminentioribus in pinaculis ante Templum S. ADALBERTI, ubiq; ad tympana & svavẽ resonãtiã. Extra Portã dictã Vistulanã ex oposito Arcis Vavellanæ 8to tormenta majora identidem roboabant, talemq; post frequentissimum lituorum & tormẽtorum sonitum hora tertia Vesperæ in honorem Neo-Canonizati triplici choro accinente inchoatæ in Ecclesia Cathedrali quæ quotquot summis decoribus referta est, omnibus splendebat. In choris minori & majori ibi purpureo florulentis telæ Damascenæ sipariis & auro fusa fimbria, hîc pretiosis peristromatibus adornata. In minori choro ante majus Altare quod statuæ SS. Apostolorum argenteæ cum aliis decoramentis onerabant, & magnificentissimum Sancti STANISLAI Episcopi Cracovien: & Martyris Mausolæũ, stabat, Effigies seu Statua Sancti NEPOMVCENI illo apparatu dives, quem multa æraria vix possunt habere. Biretum Capiti superpensum circumcirca, prout & quinque Stellæ, solis adamantibus radiarunt: stola candidis gemmis corallisq; & adamantibus interpositis nituit in pectore ab aurea torque propensa Crux itidem adamantibus aliisq; pretiosis lapidibus collustravit, ultrasq; aliquot dena millia Imperialium Clenodia æstimata decorabant prædictam Statuam, coram qua ingens quoq; candelabrum auro argenteum aliquot aliis instructum luminibus accensum propendebat, In mensa longe majores æquè ut in majori Altari candelæ argenteis superpositæ candelabris ardebant. Tempore Vesperarum ab Ecclesiis Collegiatis Parochialib⁹ aliisq; ex Collegiis, Cõventibus, & Monastriis Prælati & Canonici totusq; numerosissimus Venerabilis Clerus tam Sæcularis quam Regularis quisq; pro suo statu sub suis insigniis Crucib⁹ Vexillis conveniebat. Omnibus & singulis ad ingressum Ecclesiæ distribuebantur ad asistendum Procesioni candelæ. Concurrebant ordinatissima æmulatione fœderata Christi militia Confraternitates ex omnibus Cracoviensibus, Casimiriensibus Clepardiensib⁹, aliisq; vicinioribus Ecclesiis, tantusq; etiam è longinquo confluxit populus, ut Basilica Cathedralis satis ampla, & Arce Regia satis spatiosa non compræhensus, cedere in colles valla & plateas cogeretur. Adfuere & *Illustrissimi Woynicensis, Sandecensis, Oświecimensis, Castellani* aliiq; plurimi ex Senatoribus & Proceribus Regni Circa Magnificat tormentis iterum reboantibus supervenit Præ-Nobilis & spectabilis Magistratus. Sacram Panegyrim ad finem Vesperarum Perillustris Clarissimus & Admodum Reverendus M. *Mathias Ziętkiewicz*, Sacræ Theologiæ Professor, Collega Major, Ecclesiarum S.

B FLO-

FLORIANI Canonicus Zarnovecensis Præpositus Almutiô (quod & alii Concionatores qui erant Prælati vel Canonici Collegiatarum Ecclesiarum in usu habebant) super Th: *Qui perdiderit animam suam inveniet eam*, Math: 10. Propositione formata: *In ipsam mortem resolutus Sanctus IOANNES NEPOMVCENVS non tantùm quòd erat sibi necessarium obtinuit, sed ùt non sibi natus, ita famam & gratiam Divinam deperditam alijs adinvenit*, postquam dixerit, Vexillum S. Neo-Canonizati Perillustris Reverendissimus D. *Sebastianus Komecki* Ecclesiarũ Gnesnensis Canonicus Vladislaviensis Decanus, Cracoviẽsis Custos, benedixit; & tunc Clero Cathedrali aliisq; Hospitibus præsentibus ac Præ-Nobili Magistratui Scabinatuiq; candenlis distributis hora 5ta sonantibus campanis tormentis & lituis diviso quem unus nõ potuit capere locus, Choro Cathedrali, Ecclesia, Arce, Monte Vavello sublimi, Sede Regia Coronatrice Regum & Regni coronarum Archivo triumphalis inchoata Processionis pompa taliq; ordine processit. Alias Confraternitates quæ plurimæ præibant subsequebatur Confraternitas Literatorum in ornatu candido facibus cum ardentibus, cujus in medio in theatro ad id præparato Imago eximiè adornata NEPOMVCENA ab Ecclesia triumphante & militante juxta Genios accomodatos portata per eandem Confraternitatem deferebatur. Supra Imaginem sub tentorio insignia radios coruscantes adumbrantia propendebant. Penes Ecclesiam triumphantem in scuto erat Imago Ssmi SPIRITUS, penes militantẽ insignia Summi Pontificis cum stemmate Gentilitio prominebant. Ab opposito *Boreæ* Personæ seu Genii prostabant, tenentes Papales Archi-Episcopales Cruces, & Pastoralia seu peda Pontificia. In medio intra prostantes Personas in cervicali serico florulento telæ Damascenæ erant depositæ Tyaræ Infulæq;. Confraternitatem Literatorũ comitabantur Patres Bernardini, Carmelitæ Antiquæ Observantiæ, Augustiani, Franciscani, Dominicani, Canonici Lateranensis, Canonici Sancti SPIRITUS *de Saxia*, Ecclesiarum Parochialium, dein Collegiatarum ac demum Cathedralis Prælati Canonici, & ex Seminariis tunc intra quatuor tempora Sacros Ordines præstolantes. In medio Cleri Cathedralis ab Admodum Reverendis ejusdem Ecclesiæ Pœnitentiariis portabatur Vexillum Sancti serico purpureum tam floribus per planum quam ad margines & circa effigiem fimbriis aureis exornatum inferiùs serico cæruleo subductum ab aliisq; duobus Præsbyteris stolatis bini nodi purpurei totidem à funibus sericis propendentes tenebantur. Vt circa egressum Processionis ita & in progressu indesinentur campanæ & litui sonabant; extra

ve-

vero muros Civitatenses ad Portam Vistulanam, ad Portam Slawkoviensem in loco munitionis, ad Portam Novam explodebantur tormenta. Collaterales Processioni cum ardentibus cereis assistebant ex aliis Conventibus & Monasteriis qui sub Crucibus & Vexillis assistendi Processionibus usum non habent, quosq; non obligatio, sed devotio permovit Superiores, Doctores, Prædicatores, Pœnitentiarii, Canonici Sacri Sepulchri CHRISTI Custodes, Præmostratēses, Benedictini, Cistersiensis, Societatis IESV, ex tribus Collegijs cū suo Admodum Rñdo P. Provinciali Poloniæ, Scholarum Piarum, Carmelitæ Discalceati, Missionarii, Trinitarij, Reformati, Capucini, Canonici de Pœnitentia, Ordinis Sancti IOANNIS de DEO, Sancti PAULI primi Eremitæ, incendentium & assistentium numerus plateas & amplissimum quo tamen non capiebatur, implebat forū. Statua Neo-Sancti ex quo fuerat Pragæ ad Omnes Sanctos Decanus à 4tuor Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ SS. Omnium in Dalmuciis & stolis deferebatur, & ab aliquibus ex Confraternitate Literatorum ac nonnullis ex Natione Germanica, quæ cum plurimis facibus Statuam præcedebat, præsentibus bajulatoribus. Magistratus PræNobilis & Scabinatus pariter cum facibus procedebat, Statuam prædictam Illustrissimi Senatores & Proceres, Peraugusti Capituli Prælati & Canonici in suis Cappis atq; rohettis stolati cum accensis candelis subsequebantur. Perillustris & Reverendissimus Dominus *Sebastianus Komecki* Custos Cracoviensis solenni apparatu indutus, Manum cum Reliquiis Sancti STANISLAI Episcopi & Martyris, aurô & unionibus nitentem deferebat eratq; tanti Celebrans actus. Ivit Processio non recta è platea Castrensi ad Ecclesiam S. ADALBERTI, sed priùs circumivit Forum, ubi quadruplici in loco prout fori amplitudo capere potuit, quatuor Pyramides ingenio arte & ornatu magnificentissimæ prostabant.

PYramis 1ma in accesu è Platea Castrensi ad forum non procul ab Ecclesia Sancti ADALBERTI. Ejus in vertice erát Genius Ecclesiæ militantis cum effigie Sancti Neo-Canonizati Martyris in medio Pyramidis Titulus: *Sancto IOANNI NEPOMVCENO Ecclesiæ Militantis Decori & ornamento.* Circa Pyramidem erant positæ 4tuor statuæ varios Genios cum inscriptionibus ex Sacra scriptura referentes. *Prima* Statua quia continuo in DEVM & Proximum ferebatur amore, exprimebat Genium Charitatis DEI & Proximi. Inscript: *Hic est Fratrum amor & populi, hic est qui multum orat*

pro populo & universa Civitate, 2da Mach: xx. ℣. 14. *Ecce quomodo amabat eum*, Ioan: 11. ℣. 3. *2da*. Quia fidem coram Acatholicis feventissimo tuebatur zelo Genium zeli quo æstuans Neo-Sanctus juvabat CHRISTI fideles, convincebat Ecclesiæ hostes remonstrabat. Inscript: *Surrexit Elias quasi ignis verbum ipsius quasi facula ardebat*, Eccl: XLVIII. ℣. 1. *Locutus sum in zelo meo*, Ezech: V. ℣. 13. *3tia* Quia mundi vanitates in contempu semper habuit, honores etiam ultro sibi oblatos, utpote Prælaturas ac Episcopatum non acceptavit, referebat contemptum mundi honorum & Prælaturarũ. Inscript: *Quæ mihi fuerunt lucra hæc arbitratus sum propter CHRISTUM detrimenta. Propter quem omnia detrimentum feci & arbitror ut stercora*, Philip: III. ℣. 7. & 8. *4ta* Quia multis persecutionib⁹ qua blandimentorum qua cruciatuum vexatus, non tamen Sigillum Confessionis violavit, representabat Genium invicti animi pro servando Confessionis Sacrametalis Arcano. Inscript: *In diebus suis non pertimuit Principem & potentia nemo vicit illum*, Eccl: XLVIII. ℣. 13. *Audivi Arcana quæ non licèt homini loqui*, 2. Corinth: XII. ℣. 9. *Sacramentum Regis abscondere bonum est*, Iob XII. ℣. 2. Circa Theatrum Pyramidis ad 4tuor partes ejusdem primis coloribus pictoriis erant expressa Stemmata Summi Pontificis cum Insignijs Papalibus atq; singulis sequentia disticha subjuncta:

1mo. *Nunc BENEDICTE potens in bello Miles adesto*
Te Duce cum Sancti Io triumphe canunt,

2do. *Inter Sanctorum numerum dùm NEPOMUCENUS.*
Adscitur Sanctus Te BENEDICTE beat.

3tio. *Sydera sunt terræ flores, sed sydus Olympi*
Pontificis Summi, quis negat esse Rosam.

4to. *Contendit quando nunc liber in astra IOANNES,*
Pontificis Summi Turris aperta reor.

PYramis *2da* propè plateam Vistulanam ante Palatium *Celsissimorum Ducum SANGUSCIORUM*. In cujus vertice Genius Imperii in Corona Cæsarea, una manu Crucem ad pectus, altera pomum tenens, in medio autem ejusdem Pyramidis effigies Sancti Martyris, In Velo per Genios expanso Titulus: *Sancto IOANNI NEPOMUCENO Augustissimæ Domûs Austriacæ Defensori*. Locatæ supra postumentum Statuæ 4tuor cum Incriptionibus ex Sacra scriptura. *Prima* Statua quia his paulo actis temporibus Invictissimo Imperatori de Turcis totius Christianitatis hostibus succesit ad Petervaradinum & Belgradum fastis perennibus digna victoria, repræsentabat

Ge-

Geniū victoriæ ex Turcis, cui Inscriptio accomadata talis, *Virtutes populorum concidit & Gentes fortes dißolvit*, Eccl: XXVIII. v. 18. *Congregabit quasi arenam captivitatem, & ipse de Regibus triumphabit & Tyranni ridiculi ejus erunt*, Habac: 1. v. 9. & 10. *Ponam inimicos scabellum pedum tuorum*, Psal: LIX. v. 1. 2da Quia hæretici privati neampliarentur serio prohibitum atq; ut intra suos limites manerent sub pœnis injunctum, Genium Domitoris hæreticorum remonstrabat. Inscript: *In camo & freno maxillas eorum constringe qui appropinquant ad Te*, Psal: XXXI. v. 9. *Ardens furor ejus & lingva ejus quasi ignis devorans ad perdendas gentes & frenum erroris, quod erat in maxillis populorum*, Isaiæ XXX. v. & 28. 3tia Ob conclusam pacem inter Imperium & portam Othomanicam referebat Geniū Pacificatoris Imperii. Inscript: *Orietur in diebus ejus abundantia pacis, donec auferatur Luna*, Psal. LXXI. v. 7. *Speravit in diebus pacis cui subjecit DEVS omnes hostes*, Eccl: XLVII. v. 15. *Salvavit habitatores Hierusalem de manu Sennacherib, & de manu omnium & præstitit ei quietem per circuitum*, 2da Paralip: XXXII. v. 22 *Volui dementia & bonitate gubernare subjectus ut absq; ullo terrore vitam transigentes optata cunctis pace fruantur*, Esther XIII. v. 2. 4ta Quod à tota Christianitate intimis præcordiis optata referebat Genium incolumitatis Augustißimæ Majestatis votivum. Inscript: *Repulsi sunt inimici ejus & directa est salus in manu ejus*, 1. Machab: III. v. 6. *Clamavit omnis populus vivat Rex* 1 Reg: v. 24. *Propheta Magnus & fidelis in conspectu DEI, addidit vitam Regi*, Eccl: XLVIII v. 15. & 26. Circa Theatrum Pyramidis 4tuor latera ejusdem in varia armatura referebant Stemmata Augustißimi Imperatoris non sine culto artificio & artificiosa inventione cum appositis ad quòdvis latus bimetris,

1mo. *Concilio Divis adscriptum cerne I O A N N E M.*
Nam Caput & mentes Austria plura gerit.

2do. *Quæ torquent Aqvilæ violentum fulmen in hostes*
Hæ Sanctis Cœlo laurea serta ferunt.

3tio. *Austria dum terris summis est proxima Cœlis.*
Vna Domus Sanctum quæ levat usq; polo

4to. *Sceptra tenent Aqvilæ sunt ipsis præsto Coronæ*
Divorum ut possint his redimire Caput.

PYramis 3tia propè plateam Slawkoviensem ex oposito Lapideæ seu Palatii *Illustrißimorum* W O D Z I C C I O R V M, In cujus vertice Genius Regni Poloniæ una manu Sceptrū,

altera in scuto effigiem Sancti gestans, in medio Pyramidis Aquila alba Insigne Regni deferens inscriptionem, seu Titulum. *Sancto* I O A N N I N E P O M V C E N O *Regni Poloniæ Patrono gratiosissimo.* Statuæ supra postumentum sitæ 4tuor cum inscriptionibus ex Sacra scriptura. *1ma* Quia mæstos consolari solebat fuit &c. Cum Symbolo Consolatoris afflictorum. Inscript: *Spiritu Magno vidit ultima & consolatus est lugentes,* Eccl: XLVIII. v. 27. *Iste consolabitur nos in terra,* Gen: V. v. 29. *2da* Quia omnium famâ periclitantium est singularissimus Patronus fuit cum Symbolo bonæ famæ Patroni. Inscript: *Curam habe de bono Nomine,* Eccl: XLV. v. 15. *Salvos faciet filios pauperum & humiliabit calumniatorem,* Psal: LXXI. v. 4. *Liberabit animam pauperis de manu malorum,* Ierem: XX. v. 13. *Viduam & pupillum & pauperem nolite calumniari,* Zachar: VII. v. 20. *3tia* Quia proventus suos quoscunq; sive in ærrario Regio sive ex beneficiis habere potuit in egenos convertebat cum Symbolo Egentium Patris. Inscript: *Tibi derelictus est pauper Orphano Tu eris adjutor,* Psal: XL. v. 34. *Pater eram pauperū,* Iob XXIX. v. 16. *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem,* Proverb: XXXI v. 20. *4ta* Quia plurima sunt exempla quòd ad se devotis per suamque intercessionem opem quibus in necessitatibus implorantibus certum præbeat Patrocinium fuit &c. cum Symbolo Clientum suorum Defensoris. Inscript: *In umbra manus suæ protexit me,* Isaiæ XLIX. v. 2. *Protector est omnibus exquirentibus se,* Eccl: II. v. 13. *Manus mea tegent te,* 4. Ezech: & II. v. 29. Circa Theatrum Pyramidis ad 4tuor partes ejusdem fuerunt Stemmata Serenissimi & Invictissimi AVGVSTI II. Poloniarum Regis, ac Insignia Serenissimæ Rei-publ: Poloniæ Collateraliter non sine venusta adornatione, fuerunt quoq; Stemmata Gentilitiaq; decora Celsissimorum, Illustrissimorum Cultorum Sancti, & Confraternitatis Protectorum Distichis celebrata.

1mo. Ad STEMMA REGIVM,

Sarmata Rex Gladios Patriæ distingvit in hostes
Ipsi cum Sanctis militat almus honor.

Ad S T E M M A.

Celsissimi Principis Illustrissimi & Excelentissimi Domini

I A N V S I I K O R Y B V T H,

Ducis *in Wiśniowiec & Zbaraz* Castellani Cracov: &c. &c. &c.

Fulget quòd mediis felix N E P O M V C V S *in Astris*
K O R Y B V T H O R V M *Cynthia testis ego.*

Ad STEMMA

Illustrissimi & Excellentissimi Domini

FRANCISCI

Comitis *in Zywiec & Pieskowa skala* de Wielopolsciis

Marchionis *in Mirow* Gonzagæ

MYSZKOWSKI,

Palatini Cracoviensis &c. &c.

Hic sonipes famæ gestator, victor honorum,
Non renuit Divi, qui vehat Orbe decus.

2do Ad STEMMA REGIUM,

Quæ sortita suum Celeberrima fama Patronum,
Genti, tum Lechico præsit amica Throno.

Ad STEMMA

Illustrissimi & Excellentissimi Domini

MNISZEK,

Supremi Regni Mareschalci &c. &c.

Involet ut Cœlis pernix, pia tecta IOANNES
Illum MNISCHORUM *splendida penna juvat.*

Ad STEMMA,

Illustrissimi & Excellentissimi Domini

IOANNIS *in Slupow* SZEMBEK,

Supremi Regni Cancellarii &c. &c.

Regnorum pretium SZEMBECIA *serta Rosarum*
Ornant dum Divos sunt decus atq; Polo

3tio Ad STEMMA REGIUM,

Sarmaticis Campis junxit Saxonia Campos
Sanctorumq; refert unio tanta fidem.

Ad STEMMA

Celsissimi Principis Illustrissimi & Excellentissimi Domini

Ducis in Klewan

IOSEPHI CZARTORYISKI,

Magni Ducatûs Lithvaniæ Vexilliferi &c. &c.

Aurea promerui toties qui præmia victor
Opto Sancti nunc esse IOANNIS *Eqves.*

Ad STEMMA

Celsissimi Principis Illustrissimi Domini

THEODORI LUBOMIRSKI,

Capitanei Scepusiensis &c. &c.

Non Tagus aut gemmas volvens pretiosus hydaspes,
Sed Sancto nostro, Celse Srzeniava places.

4to. Ad STEMMA REGIUM,

Lechiados Aqvilam Patrio procerne decore
Fraternam Divus protegat ergo Pater.

Ad STEMMA,

ALMÆ UNIVERSITATIS CRACOVIENSIS,

Aurea Sceptra gerens, Studii Regina Poloni
Inflectet Divo nunc veniente decus.

Ad STEMMA

URBIS CRACOVIÆ,

Inclytæ Regni Poloniæ Metropolis,

Porta patet, veniunt Sancti, qui Turribus istis
Includant pacis fœdera longa bonæ.

PYramis 4*ta* propè Ecclesiã Archi-Presbyteralem ex opposito Lapideæ *Illustrissimi Marchionis Pinczoviensis*. In cujus vertice Geni⁹ Bohemiæ eximijs coloribûs adumbratus manu alas pandentem accipitrem tenens. In medio Pyramidis effigies Sancti in velo expanso Titulus: *Sancto* I O A N N I N E P O M U C E N O *Regni Bohemiæ Thaumaturgo*. Statuæ supra postumentũ positæ 4tuor cum Inscriptionibus ex Sacra scriptura. 1*ma* Quia pro comperto habetur si. Campi siccitate laborent supplicatione una alterave ad Sanctum Martyrem facta pluviam celeriter impetrari, exprimebat Genium fertilitatis. Inscript: *Egredimini ad me, & comedet unusquisq; de vinea sua, & de ficu sua, & bibetis aquas de Cysternis vestris*, 4. Reg: xviii. v. 13. *Frumento & vino & oleô stabilivi eum*, Gen: xxvii. v. 37. *Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum & oleum, replebimini eis, & implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino*, Ioël 11. v. 19 & 24. 2*da* Quia grassantem pestilentiam à supplicante sibi populo ut ex orationibus ad Illum conscriptis siquidẽ cõstat sua intercesione amovit præcipuè Añô1649. & 1680. dũ

totam Bohemiam gravissimè afflixit qui sese IOANNI commendarunt, periculo erepti sunt, referebat Genium pestem extingventis. Inscript: *Audite dilecti mei, ecce adsunt dies tribulationis & his liberabo vos*, 4. Esdræ xvi ℣. 75. *Ait Angelo percutienti populum: sufficit nunc contine manum tuam*, 2. Reg: xxiv. ℣. 16. *Exiit ignis ex iracundia ejus, & quisque extingvat eum*, 4. Esdreæ xvi. ℣. 16. ℣. 9. *Ceßet interfectio quæ graßatur in populo.* ℣. 11. *3tia* Quia innumera ad Sepulchrum Ejus experiuntur miracula, etiam ad hanc Statuam quæ in Ecclesia Sancti ADALBERTI Cracoviæ veneratione colitur non desunt ex multorum recognitionibus documenta, remonstrabat Genium cum miraculis ad Sancti Sepulchrum. Inscript: *Scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum*, Psal: iv. ℣. 4. *Oculus fui cæco, pes claudo*, Iob xxix. ℣. 15. *Facit magna & mirabilia absq; numero*, Iob. v. ℣. 9. *4ta* Quia nocte illa quæ præcessit celebrem victoriam armis Catholicorum partam adversùs hæreticos ad Pragæ mænia Annò 1626. Sanctus IOANNES visus est convenire in Ecclesia Metropolitana cum aliis Patronis Regni Bohemiæ agitare consilium, repræsentabat Genium cum Tabula victoriæ ad Vrbem Pragensem reportatæ. Inscript: *Tua est potentia & gloria atq; victoria & Tibi laus*, 1. Par: xxix ℣. 11. *In manu Tua virtus & potentia. Eripuit vos de manu inimicorum*, 1. Reg. xi. ℣. 11. Priora postumenta seu latera Theatri adornata erant ingeniosa elaboratione insigniis Regni Bohemiæ. In 4tuor partibus laterum Stemmata Celsissimi Illustrissimi & Reverendissimi Domini Archi-Episcopi Pragensis, & Peraugusti Capituli Pragensis, cum appositis versibus legebantur.

1mo. Ad STEMMA BOHEMIÆ,

Quam multum felix toto celebratur in Orbe
NEPOMVCENO Terra Bohema *modo.*

Ad STEMMA,

Prædicti Celsissimi Archi-Episcopi Pragensis,
Primatis Regni Bohemiæ:

Vox coluit sylvas, quondam BAPTISTA IOANNES
Hic tacet & Famæ Campus apertus ei.

Ad STEMMA,

Peraugusti & Illustrissimi Capituli Pragensis,

Me gladio Frater Mystam Rex impius vndis
Sustulit, ast pariter prendit uterq; Polum

 2do

1098

2do. Ad STEMMA BOHEMIÆ,

Decertare vides Patrium virtute Leonem
NEPOMVCENVS fortior ille Leo.

Ad STEMMA,

Denuò Archi-Episcopi Pragensis,

Multiplici Sanctus Martyr quòd sufficit Orbi
Præsulis ex binis collige signa globis.

Ad STEMMA:

Denuò Capituli Pragensis,

Fama dedit Nomen Celeberrima VENCESILAO
Hanc auget Sanctus Dive Monacha Tuus.

3tio. Ad STEMMA BOHEMIÆ,

Herculis hunc nescit robur superare Leonem
NEPOMVCENI quem pia Fama juvat.

Ad STEMMA,

Archi-Episcopi Pragensis,

Sic nostræ solitus Famæ succurrere Divus
Quam cito gyrari sphærica norma solet.

Ad STEMMA,

Capituli Pragensis.

Dux fueram Sanctus, coluit mea Templa IOANNES
Me Duce Cœlestes occupat ergo Thronos.

4to Ad STEMMA BOHEMIÆ,

Magnanimus Regni pariter Procerumq; Bohemi.
Stat Leo, tum propriis plausibus Almus adest.

Ad STEMMA,

Archi-Episcopi Pragensis.

Pragensis Pastor Campis de pluribus unam
Innocuam mundo cernite præstat Ovem.

Ad STEMMA,

Capituli Pragensis.

Vt quondam Regnum moderor, nunc Templa Patronus
Gaudeo quando meus sydera mysta tenet.

ENumeratæ Pyramides præter ornamenta prædicta singulis attributa, lampadibus innumerosissimis splendebant. Et quia to:

tota Procesſio ſereno applaudente Cœlo in Seram noctem protracta fuerat, ejus pompam & magnificentiam à Cereis manibus asſiſtentium portatis à facibus lampadibusq; fulgor & ſplendor difſuſus ſummopere adauxit. Intra Pyramides tam ante Eccleſiam Archi-Præsbyteralem, quàm Plateam Caſtrēſem verſus erectas inſigni numerô Mercatorum Poloniæ & Germanicæ Nationis ſub diſtractis vexillis & ſignis cum tympanis, bombardis, manualibus Muſicarūq; variis inſtrumentis, ordine ſuo congregatæ cohortes ſtativa egerunt. Ad 3tiam Pyramidem Plateam Sanctæ ANNÆ & Viſtulanam versùs exſtructam. Milites Præſidii Cracovienſis totum Prætorium cingentes Militari induti apparatu conſiſtebant. 4tæ Pyramidi Incolæ ex juriſdictione Magnæ Procurationis atq; Clepardiēſes, Opificum congregationes ſub ſuis vexillis cum ſonitu Muſicali adſtiterunt. Totum ab Eccleſiis Archi-Præsbyterali ad Eccleſiam Sancti ADALBERTI ſpatium forumq; reliquum Cantubernia Cracovienſium Artibus Mechanicis operam navantium, opificū æquè ſub ſolitis labaris diſtricta multitudine occuparunt. Vexillariis ſigna ſua leviori exagitata ventô in documentum homagii & venerationis approximati Statuæ inclinantibus. Idem præſtabat etiam Aqvila è ſublimi Turri Prætoriana in feneſtra quando & Statuæ Sancti & aliis Sanctorum ex variis Eccleſiis portatis reliquiis aliis expanſis geſtiens Coronatum verticem inflectebat. Vbi ſupra Aqvilam hoc legebatur bimembrum.

Quis me Aqvilam petulans fatorum quis petet auſus
Martyris in laurum fulmina nulla cadunt.

Infra verò Aqvilam in periſtromate ſerici textilis Icon Sancti Eleganti penicillo arte elaborata ſpectabatur appenſa. Eccleſia Sancti ADALBERTI & ſi conſulto ob imminentem Solennitatem novo ſacrario igneo foribus muro effractis ab opoſito murati ſacrarii in notabili ſpatio adaucta fuerit, tamen nec ſelectiorem frequentiam capere ſuffecit. Vnde ante Eccleſiam aſseribus aliaq; lignea munitione ampla cincta erat Area, ad quam Milites Arcis Cracovienſis in excubiis perſtiterunt ingenti multitudini obicem ponentes in exſtructam aream; In cujus ambitu præ Porta Triumphali per Canonicos in Feretro ſeu Theatro Statua Sancti adportata ad partem ſiniſtram quia in dextra parte Concionatori Exedra erecta fuit collocata, cereis circa illam & facibus accenſis, Reverendiſsimus Celebrans cum toto Peraugusto Capitulo, Illuſtriſsimis Senatoribus, ac Præ-Nobili Magiſtratu in ſellis ad id præparatis poſt quam locum occuparent gratiâ ſalutatorii Applauſus, unus ex Cano-

nonicis Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ, nempe Perillustris Clarissimus & Admodum Rñdus D. M. *Casimirus Palaszowski* Philosophiæ Doctor ejusdemq; Regius in Vniversitate Cracoviensi & Tylicianus Eloquentiæ Professor, Collega Major, Ecclesiarum Sanctæ ANNÆ Cracov: Canonicus Sandecensis Cancellarius. Super Them: *Ibant cum turba copiosa* Luc: 7. *Ambulemus in novitate vitæ*, Rom: 6. Formata propositione Vita Sancti temporibusq; consideratis circumstantiis quòd Sanctus IOANNES NEPOMVCENVS sit Novitas Cœlo, Orbi sublunari, & vitæ humanæ acceptatissima, totum recreans universum Concionatorium sermonem dixit. Post dictam Concionem HYMNVS AMBROSIANUS *Te DEVM Laudam9* inchoatus, & tunc Panegyris per Excellentẽ M. *Marcum Kargolewski*, in Vniversit: Crac: Phil: Doct: & Professorẽ, sub Titulo *FAMA TRIVMPHANTIS SANCTIMONIÆ* Luci publicæ data. Item Liber devotus selectas orationes & ejaculatorios, Actus ad Neo-Sanctum complectens idiomate polonico per Confraternitatem Literatorum Typis impressus *Illustrissimo & Reverendissimo Domino MICHAELI KVNICKI, Episcopo Arsinoensi, Suffraganeo, Archi-Diacono Cracoviensi, Custodi Sandomiriensi* adscriptus, sub Titulo *TRIBVTVM GRATITVDINIS*, Inter Illustrissimos Hospites distribuebatur. Hymno ad concentus per Artistas Musicos in Turribus supradictis resonante continuo, Antyphona & cum Oratione de Sancto Martyre decantata, Statua Neo-Sancti inferebatur Ecclesiæ quæ exiguam cappacitatem pulcherrimo apparatu, tam externo, quam interno videbatur auxisse.

Externi apparatûs initium fuit foribus Ecclesiæ contigua Porta triumphalis eâ Magnificentia ædificata quâ ipsum Templum adæquabat. Ad partem dextram Portæ triumphalis in Ducali paludamẽto pictoriis coloribûs erat delineatus LECHUS Primus Poloniæ Author & Princeps, cum scuto Aqvilam albam Insigne Regni Poloniarum deferente legebaturq; Inscriptio metrica.

Hanc Aqvilam foveo Divum quæ tollat in altum
Et vero Statuat, pro Ganimede Iovi.

Ad partem sinistram simili in apparatu Ducali CZECHUS spectabatur desuper cum Inscriptione,

Nec mihi magnanima desunt de stirpe Leones
Tangas Tu Patrio Dive Leone Polum.

Secunda cognatione Portæ ab eminenti prospectu fuit Imago advenientis Sancti IOANNIS NEPOMVCENI in parte sinistra, in dextra verò Statua Sancti ADALBERTI suscipientis & salutan-

tis

tis Sanctum NEPOMVCENVM in medio effigies Assumptionis BEATÆ VIRGINIS MARIÆ Confraternitatis Literatorum Patronæ æquè salutationem S. NEPOMVCENO præstantia, hosq; inter Genios & Icones Ecclesia Sancti ADALBERTI pictoriè delineata spectabatur desuper hæc Inscriptio metrica legebatur.

Ad superos quando contendit Virgo IOANNI
Obviat ac totum, flectit eiq; Polum.
Quòd verò Cœlis submittat Praga IOANNEM,
Terrigenæ ALBERTVS se sociare studet.

Tertia in cõtignatione Portæ triumphalis supra Icones cõtignationi appositas, prominebant Stemmata Augustissimi Cæsaris ad Partem dextram, ad sinistram verò Serenissimi & Invictissimi AVGVSTI II. Poloniarum Regis, desuper in frontispicio Corona pulchro artificio propendebat eiq; collateraliter Inscriptiones sequentes.

Ad STEMMA Cæsareum.

Esto biceps Aquilæ vertex, mens Cæsaris una
Providet & terræ providet atq; Polo.

Ad STEMMA,
Serenissimi Regis Poloniarum.

Hac Aquila Divi Cœlo referuntur honores
Et petet hæc rectè nempe Polona Polum.

Infra Imaginem Sancti NEPOMVCENI à lateribus secundæ cõtignationis in parte dextra Stemma *Celsissimi Illustrissimi & Reverendissimi Domini* THEODORI in Potok *POTOCKI, Archi-Episcopi Gnesnensis Legati Nati Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithvaniæ Primatis Primiq; Principis Archi-Abbatis Tinecensis*, in parte sinistra Stemma *Celsissimi Principis Illustrissimi & Reverendissimi Domini CONSTANTINI FELICIANI* in Szaniawy *SZANIAWSKI, Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ, Vniversitatis Cracoviensis Cancellarii*, cum appositis inscriptionibus.

Ad STEMMA,
Celsissimi Primatis Regni,

Dum sacri Divo passim tribuuntur honores
Præsulis insignies Crux opus ista fuit.

Ad STEMMA,
Celsissimi Episcopi Cracoviensis,

Innocuam vitam, mores eademq; IOANNIS
Nil magis Agnus quàm, candidus iste probat.

1002 In prima contignatione sub Imagine Sancti ad verticē Portæ tria Stemmata visebãtur. In medio Stemma *Celsissimi Principis Illustrissimi & Reverendissimi Domini CHRISTOPHORI* in Slupow *SZEMBEK Episcopi Varmiensis, Ducis Sambiensis.* Ad partem dextram Stemma *Illustrissimi et Reverendissimi Domini MICHAELIS KUNICKI, Episcopi Arsinoensis, Suffraganei, et Archi-Diaconi Cracoviensis, Custodis Sandomiriensis*, ad sinistram vero Stemma *Peraugusti et Illustrissimi Capituli Cracoviensis*, cum appositis Inscriptionibus.

Ad STEMMA,
Celsissimi Episcopi Varmiensis.

In manibus Divi si quæ sunt munera Floræ
Princeps SZEMBECII *Præsulis esto Rosa.*

Ad STEMMA,
Illustrissimi Episcopi Arsinoensis,

Sacri sit cultus cunctis en meta IOANNES
Prima Sed ex multis Monnocerotis erit.

Ad STEMMA,
Peraugusti Capituli Cracoviensis.

Comportant Divo Cœlestia Regna Coronam
Desinis haud trinas ferre Vavelle tuas.

IN hac contignatione in qua Imago arte excellenti depicta spectabatur, ab intra lumina insignia resplendebant. Ad latera Portæ Pyramides prostabant tam artificioso fulgore quam lampadib⁹ corruscantes. Tota exterior retulit varia ornamenta Ecclesia & præcipuè illius Tholus instar turris eminentior eleganti artificio quinque refulgebat Stellis, singulis virtutes Sancti adumbrantia erant opposita Symbola cum inscriptionibus seu Lem: *Prima* Stella ad exprimendam innocentiam referebat Lilium inter varios flores cum Lem: *Odore & candore præstat.* 2da Ad explicandam charitatem qua totus in DEVM & proximum æstuabat vita referrebat Turrim lychnis radiantem cum Lem: *Cunctis lucet ad portum.* 3tia Ad denotandam castitatem repræsentabat Columnam speculo ornatam cum Lem: *Omnibus suo fulget candore.* 4ta Ad exponendam humilitatem referebat elegantissimam Arcem seu propugnaculum in monte sublimi, ad quod Genius enitebatur cum Lem: *Ad summa tendo per ima.* 5ta Ad exprimendam sanctitatem referebat Astrorum Principem solem, ad quem Regina volatilium Aqvila subvolabat cum Lem: *Me virtus tollit in altum.* Omnes istæ & singulæ

Stel-

Stellæ pluribus illuminabantur lampadibus. Sphæra quoq; totius exterior Tholi in decem ordines per directum ad fenestras depositis lampadibus ardebat. In ipso introitu ad Ecclesiam supra lanuam ejusdem intra conopeum cum fimbriis viridibus exornatum subsequens Inscriptio.

S. IOANNI NEPOMVCENO
Præsbytero Sæculari
Sacræ Theologiæ,
Vtriusq; Iuris, & SS. Canonum Doctori,
Canonico Cathedrali Pragensi & Pœnitentiario
Sacro-Sanctæ Confessionis
Ob servatum Sigillum,
Annô Domini 1383. *Die* 16. *Maij*
de Ponte Pragensi
in præterfluentem Moldavam
præcipitato Martyri,
Voce populi à tempore immemorabili Sancto
antequam declarato;
Præsentissimo Fama laborantium Patrono.
Totius Christiani Orbis pulsantibus Romam votis
Ob summam miraculorum gloriam
& singulare ab imminenti infamia
recurrentium Patrocinium
à Sanctissimo Domino Nostro
BENEDICTO XIII.
PONTIFICE MAXIMO

Sacra Sanctorum Apotheosi
D O N A T O
Cum novis sanctitatis insignibus
in Metropolitanam Vrbem Cracoviensem
perennaturo Hospiti
Confraternitas Literatorum
Ad S. ADALBERTVM Archi-Præsulem & Martyrem
in Circulo Cracoviensi
quem sibi Patronum pridem delegit
Introeunti feliciter
hanc triumphalem aperiri Portam
ac octo dierum Solennitatem
cum plenaria Indulgentia
fieri procuravit.

AB intra Ecclesiam tegebant peristromata notabili pretio æstimata è sericis varia arte textilibûs idq; majorem chorũ tegebat peristroma purpureum è serico Damasceno minorem siparium telæ sericæ æquè purpureum testudinem seu fornicem minoris chori par siparium subornabat. Altare majus grandæva S. ADALBERTI effigie magnificum præter ardentes Cereos in 4tuor gradus, in mensa verò in duos pulchra varietate dispositos præcipuis ornamentis nitebat. Supra Tabernaculum quod Venerabile SACRAMENTVM in Monstratorio simul elegantia & pretio spectabili ambiebat, bina conopea alterum auro fusum alterum æquè auro florulentum propendebant à vertice Altaris etiam conopeum in lemniscos atq; alias sese flectentes figuras purpureum cum fimbriis argenteis desuper ad Imaginem Assumptionis B. V. MARIÆ. intra quam & candelabrum argenteum sex cereis ardens spectabatur Vtriq; Ecclesiæ paries singulari invento ab Altari majori sumptu initio Symbola quæ suam æstimatam cõmendationem eleganti de-

be-

bebant picturæ vitam Sancti adumbrantia desuper cum Lemmatibus ab infra cum metricis sui explicativis Inscriptionibus obvia legentibus referebat ordine subsequenti.

PRIMVM SYMBOLVM.

QVòd Sanctus IOANNES Parentibus ætate provectis natus, erat Cypressus tardè suos proferens fructus cum Lemm: *Sæcula prosunt.* Inscript: metrica infra posita.

Tardius in mundum processit NEPOMVCENVS
Floreat ut factis sæcula poscit opus.

SECVNDVM SYMBOLVM,

Quando nascebatur Sanctus IOANNES, lumina ei affulgebant: Aurora suo ortu tenebras mundi dispellens. Lemm: *Horrorem pellit & umbram,*

Ne sit non Phœbus IOANNES lumine clarus
Auroræ vices sydera clara gerunt.

TERTIVM SYMBOLVM,

Quia precibus Parentum ad MARIAM devotis impetratus & maximo pietatis erga MARIAM ferebatur amore. Luna à Sole mutuans lumen. Lemm: *Externo lumine crescit.*

Lumine major adest ùt Sol electa MARIA
A qua IOANNES lumina magna tulit.

QVARTVM SYMBOLVM,

Quia Missarum Sacrificiis continuò assistere solebat, teneriorib⁹ ab annis indesinenter pijs orationibus intentus, Heliotropium semper ad solem sese covertens. Lemm: *Solo affixus non desero solem.*

Flos solis clarè noscatur ab inde IOANNES,
Iustitiæ solis vernat ubiq; Comes.

QVINTVM SYMBOLVM,

Quia tã Sacræ Theologiæ, quã Vtriusq; Iuris Doctor in Academia Pragensi fuit, Chrisolithus ex auro & igne commendatus. Lemm: *Auro fulget & igne.*

Alter Chrisolithus IOANNES fulget utroq;
Aurò doctrinæ fulget & igne probi.

SEXTVM SYMBOLVM,

Quòd Præsbyter factus incessanti æstuabat in Superos amore: Altare ignibus ardens. Lemm: *Victima grata DEO.*

Munera sint superis vario constructa colore
Est Martyr Sanctus victima grata DEO.

SEPTIMVM SYMBOLVM,

Quia errantes atq; suis dubios in intentionibus sano Consiliô in rectum sensum dirigebat, Magnes inter fluctus Navi optatum demôstrans portum. Lemm: *Errantem dirigit hærens.*

Naves sunt homines, jactentur fluctibus altis
Martyre directi, littora fausta tenent.

OCTAVVM SYMBOLVM,

Quia Sigillum Confessionis Sacramentalis suscepit, nunquam revelavit, Horas emetiens & pulverem non eijciens Clepsidra. Lemm: *Infunditur & refunditur.*

Quam novit Martyr præstare silentia rebus,
Hoc Icon plenè nulla notare potest.

NONVM SYMBOLVM,

Quod fuerit Prædicator Verbi Divini & in egenos liberalis Pater pauperum, Arbor poma proferens. Lemm: *Nemini sua munera claudit.*

Non sibi fert fructus arbor de frondibus altis,
Martyr sic alijs non sibi vixit ovans.

DECIMVM SYMBOLVM,

Quia modum acquirendi honores habens non tamen ultro sibi oblatum Episcopatum Lytomiriensem & Præposituram Wissogrodensem voluit acceptare, struthio Alas habens & ad volatũ nen prorumpens. Lem: *Sublime non sapit.*

IOANNES Magnus meritis, probitate decorus,
Ex imo nunquam visus abire gradu.

VNDECIMVM SYMBOLVM,

Quia inter se discordantes conciliabat & in mutua corroborabat concordia, Mercurius virga collubros tenens. Lem: *Conciliat animos.*

Diîs Martyr Conjunctus nec virtute remotus
Discordes novit consociare Viros,

DVODECIMVM SYMBOLVM,

Quia in omnibus negotijs etiam in adversis constantiam servavit, Cygnus qui non solet mutare colorem. Lemm: *Vnius coloris.*

Inter àves Cygnus nescit mutare colorem,
Nunquam non idẽ, Martyr ad arcta fuit.

DECIMVM TERTIVM SYMBOLVM,

Quando in fluvium Moldavã præcipitatus, undæ à Sancto corpore recesserunt, Iris cujus ad exortum tempestates sedantur. Lemm: *Clarior præeunte procella.*

Fluctibus emergit, Martyr quos sedat in undis,
Exoritur toti clarior inde Polo.

DE:

DECIMUM QUARTUM SYMBOLUM,

Quod sydera supra corpus ejus in fluvium demersum apparuerunt, Hercules ob victoriam monstrorum, syderibus coronatus. Lem: *Victorem sydera cingunt.*

Est Martyr domitor monstrorum verior Ipse,
Sydera quem cingunt lumina clara Poli.

DECIMUM QUINTUM SYMBOLUM,

Quia fuit assiduus Passionis CHRISTI contemplator, Manus Crucem tenens. Lemm: *Divini pignus amoris.*

Cœli delicium mundi Crux maxima virtus
Nostro IOANNI pignus amoris adest.

Singula enumerata Symbola intermediabant candelabra argentea, quàm in majori, tam in minori choro, nullumq; in Ecclesia locum oculus spectator habuit, in quo præcipua non apparerent ornamenta. Inferior Tholus sphæricus etiam cum adminiculo scalarum propè inaccessus ad numerum octo beatitudinum, octo repræsentabat Imagines in figuram ovalem pictas, miracula DEI gratiâ per S. NEPOMUCENUM facta complectentes, cum adjectis metricis Inscriptionibus inter quas aurei metalli resplendebant ornatus. Sub Inscriptionibus viginti lampades argenteæ in modum coronæ propendebant; é medio verò Tholi unum grandius candelabrum, quòd minora sex distingvebant, quæ iterum in Coronam dispositæ, septem lampades argenteæ ambiebant. Imagines, miraculorum flores varij in sphæra Tholi separatim adornabant.

PRIMUM MIRACULUM,

Annô 1619. Calvini tempore infaustæ revolutionis in Regno Bohemiæ Ecclesiam Cathedralem Pragensem invaserunt, Mausolæo Sancti IOANNIS temerarias nefariasq; injecerunt manus, conati sunt sacras exuvias inquirere ut profanarent, sed non sine gravi sua pœna. Alter repentino fato alter morbo instantaneo punitus, egit semivivus præ gravedine morbi pœnitentiam sanitati restitutus alij perterrefacti ex Ecclesia fugerunt edocti casuq; suo moniti non temnere Divos. *Ex processu Canonizationis fol. Inscript:*

Impia qua Bohemum fœdaverat hæresis Orbem,
Martyris exuvias vult temerare sacras,
Sed sceleri grandi, pœnas dedit impia justas
Ausibus & votis, cessit iniqua suis.

SECVNDVM MIRACVLVM,

A morte post trecentos triginta sex annos per Celsissimum Principem Archi-Episcopum Pragensem qua Commissariũ, Delegatum Annô 1719. &c. 15. Aprilis Lingva Sancti IOANNIS NEPOMVCENI incorrupta adinventa. *Ex eodem Processu.*

Tempus edax rerum dum rodit singula dente
Martyris in lingvam non nocumenta movet
Ter post centum Annos & adhuc sibi vivida restat
Corrumpi ignorans integra narrat opus.

TERTIVM MIRACVLVM,

Annô 1725. &c. 28. Ianuarij corã Delegatis à Sacra Sede Apostolica Commissarijs lingva sangvine suffusa vivida apparuit. *Inscript:*

Mutam quis lingvam dicat? quæ sangvine stillat,
Tam fluidus nunquam Tullius atq; Maro;
Legatis ad se quos Vrbs misit alma Quiritum
Verbis, cum nequeat sangvine dicit Ave.

QVARTVM MIRACVLVM,

Mulier quædam in morbo de salute desperabunda absoluto Missæ sacrificio ad Sepulchrum Sancti, meliori restituta menti & reflexioni feliciter obdormivit in Domino. *Ex Processu.*

Inter morborum versatur fœmina strages
Anceps in fatis num sibi certa salus
Vt petit ad Divi cultum sacrum celebrari
Protinus in Domino certa salutis obit.

QVINTVM MIRACVLVM,

Theresia Crebsin dicta, in humero lævo ignem sacrum passa, facto voto, ad Sepulchrum Sancti plenè convaluit.

Infelix humerus Veronicæ passus ab igne,
Totamet ex illo, visa perire sibi,
Sed vix vota facit IOANNI pectore grato
Ignem non sensit plena salutis erat.

SEXTVM MIRACVLVM,

Vladislaus Buschek noctu in profundum ceciderat puteum, implorata protectione S. IOANNIS emersit, & feliciter enatavit. *Inscri:*

Vir cadit in puteum vir de cognomine Buschek
Fatali casu jam perimendus erat
Vix implorat opem IOANNIS NEPOMVCENI
Tutior à casu surgit & inde probus.

SEPTIMVM MIRACVLM,

Perillustris & Reverendissimus Ioannes Ludovicus Steyer Archi-Diaconus Ecclesiæ Metropolitanæ Pragensis, morbo atræ bilis sine spe sanitatatis pressus facto voto erigendi Statuam in honorem S. IOANNIS NEPOMVCENI feliciter convaluit. *Inscriptio.*

Mysta Sacer Ludovicus erat, verùm miser inde
Quòd grandi morbo, corpore presus erat,
Palmas devotas tollens poscensq; Patronum
Sanus & incolumis morbida fata fugit.

OCTAVVM MIRACVLVM,

Rosalia Hodanckiana sexennis pressa sub rotam malendini prolapsa, ope S. IOANNIS NEPOMVCENI illæsa evasit. *Ex Proces: Inscr:*

Sub saxum præceps Rosalia lapsa molare,
Iam tumuli presto marmor adeße videt
Invocat auxilium IOANNIS *casibus istis*
Eripitur felix atq; beata fuit.

SVb Tholo ad 4tuor partes Eclclesiæ erant, 4tuor Partes Mundi per sua insignia eleganti pictura expressæ, Sancto summam devotionem & venerationam præstantes, suaq; sibi singulæ disticha habebant serie, sequenti.

EVROPA.

Sum Genitrix Europa *Tui, Patrone* IOANNES,
Plaudentis Matris respice vota pia.

ASIA.

Asis de quatuor vasti, pars altera Mundi,
Martyre sub Sancto quæso secunda vocer.

AFRICA.

Audio NEPOMVCENE *Tuos nunc* Africa *plausus,*
Nomine quòd veneror sit mihi certa salus.

AMERICA.

Quæ novus à cunctis apellor America *Mundus,*
Esto IOANNES *spes auxiliumq; novum*

IN circulo supra minorem chorum appensæ variis sub ornamentis sex Imagines spectabantur & singulæ metricis inscriptionibus adornatæ.

Prima Imago.

S. D. N. BENEDICTI XIII. Pont: Max:

à latere dextro, *Insriptio.*

Decrevi Sanctum Divo BENEDICTVS *honorem;*
Hunc tali Civis Lechicus inde colat.

2da.

SERENISSIMI ac INVICTISSIMI

AVGVSTI II.

Poloniarum Regis, Magni Ducatûs Lithvaniæ, Rusſiæ, Prusſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Kijoviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Smolenſciæ Severiæ, Czerniechoviæ, nec non Hæreditarii Ducis Saxoniæ, Principis ELECTORIS, à latere ſiniſtro; *Inſcriptio.*

Cœlis Regnantem veneror nunc NEPOMVCENVM
Indigetem Sanctum proſpera quæq; peto.

3tia,

EMINENTISSIMI ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI

ALBANI,

S. R. E. Cardinalis, Protectoris Regni Poloniæ, inferius à parte dextra, *Inſcriptio.*

Martyris ALBANVS *cultum promoverat Iſte,*
Hunc etiam Sanctus, tollet in aſtra Patrem.

4ta.

EMINENTISSIMI ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI

Ex Commitibus de ALTHAN,

S. R. E. Cardinalis, Cauſæ Canonizationis S. IOANNIS NEPOMVCENI Ponentis à parte ſiniſtra, *Inſcript.*

Hic fuerat Ponens Cauſæ ſint feſta IOANNI
Cauſa gravis fuerat tum Pater ipſe gravis.

5ta.

CELSISSIMI ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI

THEODORI *in Potok* POTOCKI,

DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Archi-Epiſcopi Gneſnenſis, Legati Nati, Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ Primatis, Primiq; Principis; Archi-Abbatis Tinecenſis, à dextris Altaris majoris, *Inſcriptio.*

Hic vultus ſpeciesq; Patris poſt Regia ſceptra
Cujus quàm ſpectas hanc venerare Crucem.

Sexta Imago:

CELSISSIMI PRINCIPIS ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI
D O M I N I,

D. CONSTANTINI FELICIANI

in Szaniawy

S Z A N I A W S K I,

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ, à sinistris Altaris majoris, *Inscriptio.*

Sub CONSTANTINO Felicia tempora nobis
Adveniunt Sancti de radiante Polo.

MOdò præmisso adornatæ Ecclesiæ, importata Statua Sancti in Altari non adeò erecto & honori suo consecrato, quòd Numerosissimi illuminabant cerei, collocata; ob ingentem populi concursum, quem nec excubias agentes milites sustinere potuerunt circa horam decimam coronata devotio non tamen finis tam illi quam triumphis impositus. In Porta triumphali mox in turribus Prætoriana, & excubiarum ad Ecclesiam Archi-Præsbyteralem ad Tubas, & Tympana varii plausus succesere. Pyramides enumeratas & quidem Pyramidem in honorem *Summi Pontificis erectam*, Miles Præsidii Arcensis, cum numeroso Musicorum Ecclesiæ Archi-Præsbyteralis choro, Pyramidem *Agustissimi Imperatoris* Miles Præsidii Cracoviensis par; choro ejusdem Ecclesiæ Archi-Præsbyteralis subauct°, Pyramidem *Serenissimi Regis Poloniarum*, *Armatum* Sodalitium Opisicum Corariorum, sub vexillo ad explodendas manuales bombardas præ aliis exercitatum cum choro Musicorum PP. S. I. Pyramidẽ *Regni Bohemiæ*, Sodalitium Lignifabrorum non minori etiam choro PP. S. I. adauctum ordine & numero frequenti circumstetit & ad singulas Pyramides tria tormenta minora collocata fuerant. Factis lituorum sonitibus Natio Germanica ante Ecclesiam in Porta triumphali multipliciter illuminata, aliquot Hymnos in Honorem hujus Sancti decantavit. Ex prædictis Tormentis missiles ignes radiare cæperunt, arte varia accensi; & præcipuè quinq; Stellis in summo arsere, Inter singulas Pyramides alternatim manules explodebãtur bombardæ quibus Tubarum, Tympanorumq; sonitus succedebant, à dispositis in 7ptem locis supra enumeratis Artistis, Extra Portas Vistulanam, Novam in Vallis, Sławkoviensem in loco munitionis, repetitis vicibus majora sonabant tormenta aliquot milliaribus à Cracovia audita. Generosus verò D. DANIEL PTYCKI,

G 2 Ca-

Capitanus Artileriæ Regñi & Armamentarii Arcis Cracoviensis, Ryrabolos ultra 350. summè in altum emisisse demandavit, hi autē Pyraboli varios sese sinuarunt in lusus præcipuè 5. Stellas, unum molendineum gyrum plurimis ardentem pyrobolis qui inter spectatorē populum ad Pyramidem Summi Pontificis non sine admiratione spectabatur. Ejusmodi triumphales applausus ultra mediam noctē perseverarunt totumq; per octiduum continuabantur & singulis diebus crescebat, Confitentium ad sacram synaxim accedentiū nec non mystarum celebrantium devotio, prout ex Diario sequenti colligere licèt.

Die 18. Mensis 7bris Dominica 3tia ejusdem post mediam noctem hora 4ta sonare tormenta, Tympana lituiq; cœpe runt ipsa verò devotio hora 5ta inchoata ad Altaria laudabili æmulatione concurrentibus, Prælatis, Canonicis, Præsbyteris, ante horam 8vam lectum Missæ Sacrificium *Illustrissimus & Reverendissimus Dominus, D.* DOMINICUS SIENINSKI, *Episcopus Maronensis, Gnesnensis, Cracoviensis Canonicus, Officialis Generalis Gedanensis,* celebravit eoq; finito Concionem Idiomate Germanico *Reverendus* WOLOWSKI, *Missionarius* dixit. Votivum Missæ Sacrificium *Illustris Clarissimus & Admodum Rndus Dominus M.* MATTHÆUS KOLENDOWICZ, *Sac: Th: Professor, Canonicus S. FLORIANI in Zebrzydowice Curatus*, post, summum Sacrum *Perillustris & Reverendissimus D.* SEBASTIANUS KOMECKI, *Custos Cracoviensis* celebravit, æquè sapienti ac eleganti ore in medio sacri Concionante, *Perillustri & Reverendissimo Domino D. M.* IOANNE LUKINI, *V. I. Doctore & Professore, Ecclesiarum Cathedralis Canonico, Visliciensis, & SS. OO. Cracoviensis Primicerio Slawkoviensis Præposito,* super Th: ex Dominica 15. post Pente.: *Et Magnificabant DEUM,* Luc: 7. & ex Evangelio Festi, *Ego sum vitis vera,* Ioan: 5. Propositione formata *Exemplaris Cathedræ Pragensis Canonicus probatissimus famæ humanæ Defensor, Magnus Sac: Th: & V. I. Doctor, singularis Confraternitatis Literatorum Patronus, ad florescentem in hac Ecclesia Sancti ADALBERTI Gentilitiā Rosam, sub Autumnale tempus Majalium dierum, primum utiq; primus in vinea CHRISTI ex ratione Secreti Confessionis Sacramentalis conservati Martyr, Ecclesiæ Militanti est novale.* A meridie hora 2da Concionatus est Germanice, Concionator Ordinarius Ad Ecclesiiam Sancti ADALBERTI ex Sacro Ordine Prædicatorum, Vesperas circa horam 4tam inhoatas, habuit. *Perillustris & Reverendissimus D. M.* IOANNES LUKINI, *Canonicus Cracoviensis,* Matutinus Concionator, ad finem Vesperarum dixit Concionem. *Perillustris &*

Ad.

& Admodum Reverendus Dominus M. IOSEPHUS ŁUKASZKIEWICZ, *Sac: Th: Doctor Ecclesiarum Collegiatarum Scarbimiriensis Custos, Kielcensis Canonicus Parochialiũ in Modnica & Marci Poremba Curatus,* super Th: *Nihil est apertũ quòd non revelabitur,* Math: 10. Formata propositione *Secretum S.* IOANNIS DEO *&* IOANNÆ *servatum revelavit* IOANNEM *semper fuiße Sanctum & dignum Canonizatione tam in vita quàm post mortem.* Tandem subsecuta Ssmi Conservatio resonantibus tam tormentis in locis supradictis quàm lituis & tubis, hiq; sonitus sub tempus diurnæ deuotiotionis de mane ante Elevationem in Missis Votivitis & Summis, ante Vesperas & Magnificat reasumebantur. Solis post occasum in Porta triumphali Imago S. IOANNIS NEPOMUCENI illuminabatur *Hymnus* de Eodem Sancto decantabatur & non aliter nisi profunda nocte terminabatur Solennitas.

Die 19. 7bris quæ erat Feria 2da applaudente pari choro ac tormentorum sonitu, Mane hora 5ta cum Expositione Ssmi inchoata devotio, Votivum Sacrũ ad Altare S. celebravit *Illustris Clarissim⁹ & Admodum Reverendus Dominus M.* THOMAS MUSZYNSKI, *Phil: Doct: & Profeßor, Collega Major vocatus, Ecclesiæ Cellegiatæ Neo-Sandecensis Primicerius,* Sûmmum verò Missæ Sacrificium *Perillustris & Reverendissimus Dominus M.* IOANNES LUKINI, *V. I. Doctor, Canonicus Cracoviensis,* in medio Sacrificii Concionem dicente, *Illustri & Admodum Reverendo Domino* IOANNE CHOCHORKIEWICZ, *Ecclesiarum Collegiatæ SS. OO. Cracoviæ Canonico Parochialis in Antiqua Brzesko Curato.* Super Th: *Nominatum est Nomem ejus gloriæ usq; ad extremum terræ,* Math: 14. Proposit: *Gloria & fama Nomine S.* IOANNIS *compendificata etiam ultimis Mundi Oris divulgata.* Post Vesperas Concionatus est *Illustris Religiosissimus & Admodum Rndus* IOSEPHUS PROKOPOWICZ, *Canonicus Regularis de Saxia, Ordinarius ad Ecclesiam S.* SPIRITUS *Concionator,* Super Th: *Qui odit non potest meus eße,* Luc: 14. Proposit: *In odio apud homines, alienum honorem habet pro suo S.* IOANNES NEPOMUCENUS.

Die 20. 7bris quæ erat Feria 3tia sub continuatione eorundem ùt supra plausuum habuit Votivum Sacrum *Perillustris & Admodum Reverendus Dominus M.* IOSEPHUS ŁUKASZKIEWICZ, *Sac: Th: Doctor, Canonicus Kielcensis &c.* Celebravit Summum Sacrificium *Perillustris & Reverendissimus Dominus* SAMUEL SZWEYKOWSKI, *Canonicus Cathedralis, Cracoviensis,* Concionem egit *Admodum Reverendus & Eximius Pater* ADALBERTUS BALCERKOWICZ, O. P. Super Th: *Propter*

monem Ioan: 16. Proposit: *Tacens S. IOANNIS NEPOMVCENI, lingva eloquentissimè famam & honorem Ejus depredicat.* Post Vesperas concionatus *Admodum Rndus & Eximius Pater* GORDIANUS SOIECKI, *Sac: Th: Magister, Definitor Prov: Polon: Ord: Carmel: Antiq: Observ: Conv: S. THOMÆ Cracoviæ Prior,* Super Th: *Laudate eum sol et Luna laudate eum omnes Stellæ & lumen, laudate eum Cœli Cœlorum & aquæ omnes,* Psal: 148. Proposit: *Qui laudat & glorificat S. IOANNEM NEPOMVCENVM certus est gloriæ & famæ temporalis & æternæ.*

Die 21. 7bris quæ erat Festum S. MATHÆI sub ijsdem ut supra plausibus pariq; imò majori hominum accedente concursu Missam ad Altare Sancti Votivam habuit *Illustris & Admodum Rndus Dominus M.* ANDREAS NECHREBECKI, *Phil: Doctor & Proff: Ecclesiarum Collegiatæ SS. OO. Canonicus Parochialis in Raciborowice Curatus,* Summum Missæ Sacrificiũ *Perillustris & Revendissimus D. M.* HYACINTHUS ŁOPACKI, *Sac: Th: Doctor, Canonicus Cathedralis Cracoviensis Archi-Presbyter Infulatus, Sandomiriensis Decanus,* Sub medium Sacrificii Cõcionem dixit *Illustris Clarissimus & Admodum Rndus M.* THOMAS MUSZYNSKI, *Phil: Doctor, et Professor,* Super Th: *Sacramentum Regis abscondere bonum est,* Tob: 12. Proposit: *Honor ad proportionem meritorum, in aula Cœlesti Cancellariatus S. IOANNIS NEPOMVCENI.* Ad finem Vasperarum concionatus *Illustris et Admodum Rndus Dominus M.* ANDREAS NECHREBECKI, *Ecclesiæ OO. SS. Canonicus,* Super Th: *Discite quid est,* Matth: 9. *Nihil est apertum quòd non revelabitur,* Matth: 10. Proposit: *S. IOANNES NEPOMVCENVS ob servatum secretum, secretò collatus in corde Divino, nunc ad Solennem Introductionẽ gloriose revelatur secretis.* Post Vesperas erat illuminatio Imaginis Sancti in Porta triumphali, ad Musicorumq; concentus *Hymnus* in Honorẽ Sancti decantabatur.

Die 22. 7bris quæ erat Feriâ 5ta. mane ad initium devotionis convenerunt Patres Societatis IESV & devotionem auxerunt. Ad Altare Sancti *Admodum Rndus P.* KUDERSKI, *Sac: Th: Professor* Asistẽtibus aliquot sui Collegii Magistris accinente quoq; suo immenso choro Sacrificium celebravit. Idem fecit *Admodum Rndus Præpositus Canonicorum Regularium Beatorum Martyrum de Pœnitentia ad Ecclesiam S. MARCI* in præsentia & asistentia plurimorũ Religiosorum Canonicorum ex suo Ordine Litanias canentẽ choro. Votivam Missam cantavit *Illustris et Admodum Rndus Dominus* IOANNES CHOCHORKIEWICZ, *Ecclesiæ SS. OO. Canonicus.* & Summum Sacrum *Perillustris et Re-*

ve-

verendissimus D. VENCESLAUS HIERONYMUS SIERAKOWSKI, *Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis Canonicus Collegiatæ Kielcensis Præpositus Curiæ suæ Celsitudinis Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ Auditor et Iudex Generalis* celebravit. Iam verò concionem dixit *Admodum Rndus et Eximius P.* ROMUALDUS à S. STEPHANO *Carmelita Discalceatus, Conventûs S. MICHAELIS et IOSEPH, Ordinarius Concionator Diebus Dominicis* Super Th: *Aquæ nutrierunt, eum abyssus exaltavit illum,* Ezech: 31. Proposit: *Piscis hamô Ipsius DEI in Moldava captus, in fluminibus Austriacis per Annos 346. conservatus, è fluminibus* BENEDICTI XIII. *Pontificis Maximi in portionem ad diem Sabbathi Vrbi Metropolitanæ Cracoviensi Solenni Canonizatione Conservatus, Sanctus IOANNES NEPOMVCENVS.*

A meridie circa horam secundam in præsentia *Illustrissimorum Hospitum, Peraugusti Capituli Præ-Nobilis* Magistratûs, atq; numerosissima tàm ex *Alma Vniversitate* quàm ex *Sacris Religiosis Ordinibus, Illustrissimi Auditoris* frequentia Panegyricam Orationem disertiori facúndiâ dixit *Excellens Dominus* M. MICHAEL IOANNES NEPOMUCENUS AWEDYK, *in Alma Vniversitate Cracoviensi Phil: Doct: & Prof:* ac quòd sit EPAMINONDAS *pro domo vitæ humanæ & felicitatis bono Decertans Sanctus IOANNES NEPOMVCENVS; deduxit.* Quæ Oratio in lucem publicam edita. *Celsissimo Principi Illustrissimo & Reverendissimo Domino D. CONSTANTINO FELICIANO* in Szaniawy *SZANIAWSKI DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopo Cracoviensi, Duci Severiæ,* dicata & adscripta. Post Vesperas concionatus est *Admodum Reverendus & Eximius P.* IOANNES FRANCISCUS *à Cracovia, Ordinis S. P. FRANCISCI, Capucinus Conventûs Cracoviensis,* Super Th: *Gratiâ DEI sum* 1mo Corinth: Proposit: *Nativitas et tota vita Sancti IOANNIS NEPOMVCENI* ostendit toti Mundo & Ecclesia Sancta approbat, quòd *S. IOANNES NEPOMVCENVS non fuit Fili⁹ naturæ, sed opus gratiæ Divinæ.*

DIe 23. 7bris quæ erat Feriâ 6ta manè, tempore ùt supra solito accrescénte populi concursu inchoata devotio. Missam Votivam ad Altare Sancti habuit *Illustris et Admodum Reverendus Dominus* M. MICHAEL ZALESKI, *Phil: Doct: Ecclesiarum Collegiatarum S. GEORGII in Arce Cracoviensi Canonicus SS. OO. Scholasticus, Parochialis in Spytkowice Curat⁹.* Summû Sacrû celebravit *Perillustris Reverendissim⁹* M. MARTINUS WALESZYNSKI, *Sac: Th: Doct: et Prof:* Ecclesiarû *Cathedralis Cracoviensis Canonicus, Montis S. GEORGII in Scepusio et Przemykow Præpositus Librorum per Diœcesim Cracoviensem Censor, Studij Generalis Vniversitatis Pro-Cancellarius.* Concionem dixit *Admodum Reverend⁹*

1116

et Eximius P. MARCELLUS DŹIEWULSKI, *Sac: Th: Doct: quorundam Festorum in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi Ordinarius, verò in Ecclesia Sancti FRANCISCI Concionator Emeritus, Ordinis S. FRANCISCI Conventualium,* Super Th: *Mihi absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IESV CHRISTI,* Galat: 6. Proposit: *Non miror quòd S IOANNES Cruce gloriatur, quia tota Sancti vita, et pretiosæ in oculis DEI mortis Ejus summa Crux, ex qua Ecclesiæ DEI, novi splendoris nobis maximi fructus et felicitatis plurimum accessit.* Ad finem Vesperarũ concionatus est *Admodum Rndus et Eximius P.* HILARION à Ssmo SACRAMENTO *Carmelita Discalceatus, ad Ecclesiam S. MICHAELIS, et IOSEPH diebûs Festorum Ordinarius Cocionator.* Super Th: *Hæc est dies quàm fecit Dominus, exultemus et lætemur in ea,* Proposit: *Lætitia cum fletu, dies vitæ humanæ, dies tristis, dies feriæ quintæ, sed ad initiales S. Canonizati IOANNIS NEPOMVCENI splendores, ab Eodẽ S. NEPOMVCENO, omnib⁹ Ejus devotis Cultorib⁹ dies læta, quieta fortunata.*

Die 24. 7bris quæ erat dies Sabbathi ad decursum octiduæ Solennitatis major populi aderat concursus, Confessarii, Præsbyteri, Sæculares Patres, Reformati, Capucini, præter quòd ex aliis Ecclesiis confitentes pro S. Communione à summo Diluculo veniebant usq; ad horam 2dam pomeridianam indesinenter Confessiones excipiebantur, & vix tot Confessarii multitudini Confitentium suffecerunt. Hac die Missam Votivam habuit ad Altare Sancti *Illustris et Admodum Reverendus Dominus* ADALBERTUS NAGORSKI, *Ecclesiæ Collegiatæ Neo-Sandecensis Canonicus,* Summum verò Sacrum celebravit *Perillustris Clarissimus et Admodum Reverendus Dominus* M. MARTINUS KUROWSKI, *Sac: Th: Doctor et Professor, Collega Major, Ecclesiarum S. FLORIANI ad Cracoviam Decanus, Posnaniensis, Cancellarius, Wielicensis Præpositus,* Concionem dixit *Admodum Rndus et Eximius P.* ILDEPHONSUS, *Ordinis S. P. FRANCISCI Reformatorum Provinciæ Minoris Poloniæ Definitor, Sac: Th: Lector,* Super Th: *Dicite in lumine,* Matth: 10. Proposi: *Dies Sabbathi est disertissimus S. IOANNIS NEPOMVCENI Orator:* A meridie recurrente Octava Solenntatis, die Introductionis reasumebantur plausus, & triumphi tubarum lituorum, tympanorum, atq; tormentorum. Post supra enumeratas Portas sonitus increbrescebant. Ante Vesperas quas *Illustris et Admodum Reverendus Dominus* ADALBERTUS SLAWSKI, *Ecclesiarum Collegiatæ S. MICHAELIS in Arce Cracoviensi Custos Parochialis in Bolechowice Curatus.* & habuit, jam autem concionatus est ad finem Vesperarum *Admodum Rndus et Eximius P.* AUGUSTINUS *S. FRANCISCI*

Re-

Reformatus, Sac:Th: Lector secundarius, Super Th: *Dicite in lumine prædicate super tecta*, Matth: 10. Proposit: *Canonizatio S. IOANNIS NEPOMVCENI, est nova gloria & honor Cracoviæ* Post Sanctissimi conservationem erat illuminatio Imaginis Sancti IOANNIS NEPOMVCENI in Porta triumphali binæq; Pyramides lampadibus arserunt, *Hymnus* in honorem Sancti decantabatur atq; alij concentus edebantur.

Die 25tâ 7bris alias Die Dominico hora 3ia post mediam noctem circa tormentorum explosionem tubarum atq; aliorum instrumentorum sonitus, festivi plausus sonuerunt Hora ipsa 4ta concursum non tantùm populi, sed Venerabilis Cleri, cum Missarum Sacrificiis, advenientis capiente Ecclesia, inchoata devotio. Ante horam 8vam fuit concio quàm Germanico idiomate habuit Ordinarius ex Ordine Prædicatorum Concionator. Missam Votivam cantavit *Perillustris & Admodum Rndus Dominus* IOANNES SIWERT, *I. V. Doct: Ecclesiarum Collegiatarum Kielcensis Scholasticus, Sandomiriensis Canonicus, Parochialis in Pobiednik Curatus, Consistorii Cracoviensis Actuarius*. Summũ Sacrum celebravit *Perillustris & Reverendissimus D.* ANDREAS OLSZOWSKI, *Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis, & Insignis Collegiatæ Sandomiriensis Canonicus*, Sub medium Sacrum concionatus est *Illustris Clarissimus & Admodum Rndus D.* M. MATTHÆUS KOLENDOWICZ, *Sac: Th: Professor, Collega Major, Ecclesiarum S. FLORIANI Canonicus, in Zebrzydowice Præpositus*, Super Th: ex Dominica 16. post Pentec: desumptum *Et ipsi observabant eum*, Luc: 14. Proposit: *Ad Solennem in Vrbem Metropolitanam Cracoviensem S. IOANNIS NEPOMVCENI Introductionem Fama Regni Poloniæ triumphat*. A meridie hora 2da, Germanico idiomate concionem habuit *Illustris & Admodum Rndus Dominus* SIENINSKI, *Ecclesiarum Collegiatæ Tarnoviensis Canonicus, Parochialis in Willamowice Curatus*, quâ finitâ solennissimo applausu Vesperæ inchoatæ circa horam 4tam hincq; pari modô ut & die Introductionis convenerunt Milites Arcensis & Cracoviensis Præsidii, Sodalitia Opificum armata, locumq; ordine suo fori & Plateæ Castrensis fermè totius occuparunt. Pro Conclusione devotionis præter *Perillustres Prælatos, Canonicos, Illustrissimos Hospites* supervenit, *Illustrissimus & Reverendissimus Dominus* MICHAEL KVNICKI, *Episcopus Arsinoensis, Suffraganeus & Archi-Diaconus Cracoviensis*. Sacram Panegyrim ore gemmas & Lilia loquente, ad finem Vesperarum *Perillustri & Reverendissimo Domino* VENCESLAO HIERONYMO *de Boguslawice* SIERAKOWSKI, *Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis* Ca-

Canonico, Collegiatæ Kielcensis Præposito, Curiæ suæ, Celsissimi Principis Illustrissimi & Reverendissimi Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ, Auditore & Iudice Generali, Super Th: *Tacui semper, silui, patiens fui*, Isaiæ 42. Proposit: *Profundum silentium & tenax Sacramentalis Sigilli conservatio, ostendit Sanctum IOANNEM NEPOMUCENUM exemplar ùt octo perfectionis.* HYMNO post Vesperas, à choro in Sancti Honorem decantato, *Illustrissimus Suffraganeus* Pontificaliter ornatus, absolvit Orationem de Sancto, atq; AMBROSIANUM Canticum *Te DEUM Laudamus*, intonuit. Hicq; incessanter ante Ecclesiam in Porta triumphali in turribus Prætoriana & Excubiarum vocalissimè varia sonuerunt instrumenta, in medio fori ac extra Portas tormenta quàm majora tàm minora identidem explodebantur usq; ad conservationem Sanctissimi, sed & hac peracta nondum erant triumphales plausus intermissi. Pastorali benedictione terminavit devotionē *Illustrissimus Episcopus*, jam verò ut ultima responderent, primis, omnes 4. Pyramides, acialiter circa forum dispositæ, numerosissimis arserunt lampadibus, similiter & Tholus Templi exterior artificium 5. Stellarum referens, Portaq Triumphalis cum adjunctis Pyramidib' duabus, Natio Germanica ante Ecclesiam postquàm Hymnos & Psalmodias in honorem Sancti decantaverit, suam quàmlibet Pyramidem chori, Milites, Sodalitia armata, sub signis & vexillis circumsteterunt quâdam laudabili æmulatione, manualibus decertarunt bombardis, è tormentis minoribus flammæ pyroboli instar aquæ ductus sub variis coloribus ac formis præcipuè 5. Stellas accomodatissimè in memoriam quòd circa Nativitatem & Martyrium Hujus Sancti apparuerunt, referentes plurimis vicibus prosiluerunt, cæteraq; artis hujus opera præstantissima non sinè spectatoris concurrentis delectamento & admiratione luserunt & vix post mediā noctem cessarunt. Illuminationes tamen tota perseverârunt nocte, & die quæ licet obscura, diē nihilomin' à claritate luminis videbantur æmulari. Adhuc & postridiè Hymni practicati atq; tormenta triumphis reboantia & applaudentia Solennitatis memorabilis Plausus terminârunt, & felicissimè concluserunt.



Ad



Ad Neo-Sanctum IOANNEM NEPOMVCENVM, *Fama periclitantium* PATRONVM, EPIGRAMMA

1mum.

PLus voluit pietas & plus devotio ſvaſit
Plaudere, quàm profert iſta pagina brevis,
Sed tamen ô Martyr tantillum ſuſcipe Plauſum,
Atq; Tibi gratum ſit voluiſſe ſatis.
Sæcula Te nobis optatum longa dederunt,
Plauſus condigni ſæcula poſcit opus.

2dum.

ÆDes ALBERTO ſacræ, pietate Magiſtra
En NEPOMVCENO ſunt quoq; templa data;
Ille Pragenſis Præſul Tu ſtrenue Martyr
Præſule ſub Tanto Præsbyter atq; Canon
Nunc iterum, juncti veſtrûm virtute potenti
Auxilium Regno præſidiumq; date.



